

Atqui motus quilibet a termino specificatur, siquidem norma motus est in objecto, quod ei assignatur ut limes. Ergo motus mentis cognoscentis, seu scientia, debet metiri ex objecto prout respondet principiis a quibus mens exorditur.

2<sup>o</sup> Scientia est quædam intellectualis *representatio*; atqui representatio seu imago specificatur per objectum representatum. Ergo.

II. *Specificatur ab objecto formali* strictius sumpto, nempe ab objecto materiali prout determinatur ab objecto formali *sub quo*. — Etenim 1<sup>o</sup> motus specificatur completa, non à solo termino, sed etiam a medio per quod ad terminum tendit; 2<sup>o</sup> objectum formale alicujus scientiæ constat notis et proprietatibus quæ in re quadam cognoscuntur (142). Porro scientia, quæ est intellectualis representatio, non representat totum objectum materiale, sed aliquid de ipso, seu formalitatem quamdam. Ergo scientiæ, sicut cognitiones omnes, specificantur ab objecto formali: representatio specificatur per *id tantum* quod representat.

*Cor.* Tot sunt scientiæ distinguendæ, quot adequata distinguuntur objecta formalia.

### § II. Quotplex sit scientia?

147. — Scientiæ generatim dividi possunt 1<sup>o</sup> ratione finis; 2<sup>o</sup> ratione extensionis objecti, et 3<sup>o</sup> ratione relationis ad invicem.

1<sup>o</sup> Scientia *inspecto fine* ad quem tendit, dividitur in speculativam et practicam.

Scientia dicitur *speculativa* quando 1<sup>o</sup> circa rem versatur quæ suum esse non habet à mente; quando 2<sup>o</sup> pro fine solam contemplationem alicujus veritatis habet ita ut in se non sit nisi imago, seu expressio sui objecti; v. gr., quid est Deus, quid est homo?

Dicitur *practica* quando 1<sup>o</sup> versatur circa rem operabilem, quæ scilicet ab ipsa dependeat tanquam ab exemplari causa; quando 2<sup>o</sup> pro fine habet operationem quam ultimò respicit, et ad quam dirigendam refert ipsam contemplationem veritatis, ita ut in se non sit mera imago.

sed etiam typus seu exemplar sui objecti v. gr., Deus est colendum.

Metaphysica, Theologia dogmatica sunt scientiæ speculative; Ethica, Jus sunt scientiæ practicæ.

2<sup>o</sup> Ratione *extensionis objecti*, dividitur in partialem et totalem.

Scientia *partialis* defini potest: *certa cognitio alicujus rei necessaria, habita per propriam ejus causam.*

Scientia *totalis* definitionem propriam scientiæ supra allatam (139) sibi vindicat, et propterea est *systema conclusionum demonstratarum quæ circa unum objectum versantur*. Unitas scientiæ ab unitate objecti formalis adequatè determinatur.

3<sup>o</sup> Scientiæ, ratione *relationis ad invicem*, distribui possunt in primarias seu principes, et secundarias seu derivatas.

Scientia dicitur *primaria* quando ejus *ratio sub qua* ab altera scientia non petitur: v. gr., Philosophia, quæ sua principia fundamentalia ab alia scientia non repetit.

Scientia dicitur *secundaria* quando ejus *ratio sub qua* constat principiis ex alia scientia desumptis: v. gr., per spectivam respectu Geometriæ.

Scientia derivata est semper scientia *subalternata* respectu scientiæ primariæ a quâ exordium duxit; verùm scientiæ primariæ possunt etiam sub uno respectu subalternari dum sub alio respectu præsent. Subordinatio enim scientiarum ex diverso capite repeti potest, v. gr., ex nobilitate finis, amplitudine objecti, universalitate principiorum.

## SECUNDA PARS LOGICÆ

### LOGICA CRITICA SEU MATERIALIS.

148. — In priore Logicæ parte, exposuimus nexum recititudinis quo cogitationes nostræ inter se colligantur, seu consideravimus *intrinsecas* rationis normas. Objectum for-

male hujus prioris partis Logicæ meritò dicitur ens rationis, quod nunc idem dicitur ad *dispositionem quam ratio nostra facit in rebus cognitis*, dum eas ordinat in modum syllogismi, iudicii, etc. Hæc forma, qua disponuntur operationes mentis seu secundæ intentiones (25), est ens logicum, seu objectum formale Dialecticæ.

Sed præter hunc ordinem cogitationum mentis seu secundarum intentionum inter se, coheret etiam ut cognoscamus *nezum* quo ipsæ cogitationes coherent cum rebus ipsis circa quas versantur. Consideratio *extrinsecorum* normarum, ad quas judicia exigii debent ut vera sint seu conformia objectis, constituit objectum proprium Logicæ materialis seu criticæ.

Hæc rectitudo iudiciorum respectu rerum iudicatarum, seu congruentia inter cognitiones et res cognitæ, dicitur *veritas*. Igitur veritas, quatenus a mente assecuta, est objectum logicæ criticæ.

149. — Logica materialis debet ergo cognoscere :

1<sup>o</sup> Saltem præsuppositive, quid sit veritas; deinde quomodo mens ad veritatem se habeat.

2<sup>o</sup> Scorsim spectatis veritate ex una parte et statibus mentis respectu veritatis ex altera, Logica critica ulterius progredi debet inquirendo quomodo mens attingere veritatem possit, seu *quam sint media* quibus mens et veritas, quas antea scorsim consideravimus, conjungi possint.

3<sup>o</sup> Præterea debemus cognoscere utrum veritas et mens ita conjungantur, ut vitari possit omnis deceptio ex parte mentis in illo actu quo veritatem assequitur.

4<sup>o</sup> Tandem positivè spectata assecutione certa et tuta veritatis, debemus etiam negativè considerare actum assequendæ veritatis, nempe rimari *causas præcipuas ignorantia et erroris*.

Hinc Logica critica in quatuor dispecitur capita.

In primo capite, agemus de veritate, veritatisque assecutione, in secundo, de viis assequendæ veritatis, in tertio, de veritatis criterio, et in quarto, de erroris et ignorantia fontibus.

## CAPUT I

## DE VERITATE LOGICÆ EJUSQUE ASSECUTIONE.

150. — In hoc capite quaeremus 1<sup>o</sup> quid sit veritas et in quam mentis operatione reperitur; 2<sup>o</sup> enumerabimus varios status mentis verum imperfectè et incompletè assequentis. Tandem 3<sup>o</sup> agemus de statu mentis verum plene et completè adipiscentis.

Hinc primus articulus erit de veritate spectata sive *in se* sive *in operatione* mentis in qua plene reperitur;

Secundus erit de variis statibus mentis imperfectè verum assequentis;

Tertius erit de certitudine, seu de statu plene adeptio- nis veritatis.

## ARTICULUS I.

*Quid sit veritas, et in quam mentis operatione reperitur?*

## I. Quid est veritas.

151. — Veritas triplex distingui solet, nempe, veritas in intellectu, veritas in rebus, et veritas in sermonibus. Prima nuncupatur veritas logica; secunda, veritas metaphysica; tertia, veritas moralis seu veracitas.

1<sup>o</sup> Quando intellectus rem percipit prout est in se, seu quando habet conceptus objectis conformes, veritas est in illo. Unde veritas logica nihil est aliud quam *intellectum rem intellectam adæquans*.

2<sup>o</sup> Veritas *metaphysica*, seu veritas in rebus, est ipsa rerum habitudo ad intellectum, quatenus sicut sunt, cognosci possunt. Igitur veritas in rebus est *ipsa rerum cognoscibilitas*: unde veritas metaphysica duo importat: 1<sup>o</sup> realitatem seu entitatem rerum, et 2<sup>o</sup> ordinem ad aliquem intellectum, præcipue divinum. Si hæc ordinatio ad aliquem intellectum relinqueretur, haberemus ens ut sic, non autem ens ut formaliter verum.

3<sup>o</sup> Veritas *moralis*, seu veracitas, habetur quando ser-



mones aut signa quæ mentis cogitationes expriment, reapse respondent hęc cogitationibus; unde veritas moralis describi potest: *concordia seu adæquatio manifestatio- nis cum cogitationibus animi*. Hęc magis pertinet ad voluntatem quam ad intellectum.

Veritas ergo, sive consideretur in cognitione, sive in re, sive in sermone, semper aliquam importat relationem conformitatis inter intellectum cognoscentem et rem cognitam. Hinc veritas generatim sumpta a veteribus optimè describitur: *Adæquatio intellectûs et rei*.

*Exempla. Conceptus* hominis, arboris; lapidis, etc., est verus quando reapse exprimit hominem, arborem, lapidem, seu est fidelis eorum similitudo.

*Res*, v. gr., aurum, lapis, etc., dicitur vera, non modo quia in se habet naturam auri, lapidis, etc., sed quia ut aurum, lapis, etc., cognosci potest: sic aurichalcum non habet naturam auri, et tamen exterius ut aurum apparet, et ideo dicitur aurum falsum: apparet enim cognoscenti aliud atque est in se, ac proinde ordo ad intellectum non respondet entitati.

Tandem quando *sermone* exprimo, v. g., reverentiam erga aliquem, quam in corde revera habeo, hic sermo est verus, quia est adæquatio inter illud signum et rem significatam.

152. — In logica agitur tantummodo de veritate logica, seu de conformitate mentis cum objecto formali, non autem de veritate metaphysicâ aut morali.

Veritati logicæ opponitur *falsitas* conceptuum, seu *disformitas intellectûs ab objecto*. Falsitas proprie dicta non reperitur in rebus, quæ in se semper sunt id quod sunt, et ab ideis divinis effectricibus dissidere nequeunt: veritas enim in rebus cum sit ipsa earum intelligibilitas, potest utique ex imperfectione intellectûs non recte apprehendi; sed hæc falsitas non afficit nisi intellectum, seu est falsitas conceptuum.

153. — Veritas logica non importat ut objectum materiale sit plene cognitum. Objectum enim proprium cognitionis est objectum formale (142), nempe id quod in objecto materiali cognitione attingitur. Si enim quædam sunt in objecto materiali quæ in cognitione non representantur,

fit ignorantia, non falsitas: v. g. quando speculum refert imaginem solius capitis, non totius hominis, imago hæc est vera, licet totum objectum materiale non representet. Sic, dum in lapide cognosco tantummodo pondus, duritiem, conceptus est verus, etiamsi rom rotam non representet; pondus vel durities constituit objectum formale hujus cognitionis. Igitur veritas logica adest quotiescumque cognitio conformis est cum objecto saltem *formali*.

## II. In quamam mentis operatione veritas reperiatur.

154. — Posita hac descriptione veritatis logicæ, quæri potest in quamam mentis operatione hæc veritas plene et perfectè reperiatur.

Ut constat ex dictis, certum est 1<sup>o</sup> veritatem reperitum in simplicibus conceptibus, tum in judiciis, tum etiam in perceptionibus sensitivis: ipsi enim conceptus dicuntur veri aut falsi, sicut judicia ac perceptiones sensitivæ. Nam quælibet representatio, ut sic, est necessario conformis aut disformis objecto suo.

Certum est 2<sup>o</sup> veritatem logicam in judiciis aliquo speciali modo reperiri quo non est in simplicibus conceptibus nec in perceptionibus sensitivis. Nam a) judicia seu propositiones dicuntur *veritates*, non autem simplices apprehensiones: b) judicia possunt *ex se* esse vera aut falsa: simplices autem apprehensiones *ex se* sunt semper vere, nunquam false. — Hinc quærendum est quonam *speciali* modo veritas sit in diversis his mentis operationibus.

155. — THESIS. I. *Veritas logica est plene et perfectè in solo judicio, seu juxta modum loquendi Scholasticorum, in intellectu componente et dividente* (affirmante et negante).

*Prob.* 1<sup>o</sup> Veritas logica est plene et perfectè in operatione quæ consistit in declaranda *conformitate* intellectûs et rei. Atqui judicium solum exprimit hanc conformitatem mentis cum objecto. Ergo in judicio duntaxat invenitur veritas logica, seu formaliter sumpta.

*Quoad majorem*, animadvertendum est veritatem logicam seu formaliter sumptam stare in ipsa *conformitate*

inter mentem et objectum ; unde hæc operatio in qua ipsa veritas, seu hæc conformitas, est tanquam *objectum cognitum et affirmatum*, est stricta veritatis expressio.

*Probatur minor.* 1° Judicium nihil aliud est quàm hæc intellectualis operatio qua unum conceptum comparamus cum altero, ut affirmemus eorum convenientiam vel discrepantiam : unus ergo conceptus se habet ad modum objecti, cui convenit vel non convenit aliter conceptus.

2° Si analysi subjiciamus judicium objective spectatum, constabit illud in eo consistere ut notio quædam per attributum significata, tribuatur subjecto (42) ; subjectum enim in judicio, seu in propositione, locum tenet *rei prout est in se*, dum prædicatum ponitur ut mentis *conceptus* qui afficit rem illam ; prædicatum respectu subjecti est quædam notio præcognita sub qua subjectum consideratur. Ergo affirmare congruentiam prædicati et subjecti idem est ac affirmare conformitatem alicujus cognitionis cum objecto cognito.

*Prob. 2°* Hæc thesis potest confirmari ex signo. Voces enim disjectæ, v. g. homo, lapis, non dicuntur veræ aut falsæ ; sed statim ac propositiones constituuntur, v. g., hic homo est albus, hic lapis est durus, dicuntur veræ aut falsæ. Ergo.

*Cor.* Hinc in judicio affirmante veritas idem est ac objectiva subjecti et prædicati identitas, dum in judicio negante, idem est ac utriusque diversitas. Judicium ergo est verum quando res per subjectum representata se habet ut enuntiat, affirmativè vel negativè.

156. — THESIS II. *In simplici apprehensione seu in intellectu cognoscente quod quid est (simpliciter apprehendit) veritas etiam reperitur, sed inchoatè tantum, seu quatenus existens aut cognoscibilis, non ut cognita et affirmata.*

Thesis duplicem complectitur partem. Prima pars affirmat veritatem reperiri in simplice apprehensione ; secunda pars indicit veritatem hæc esse inchoatam tantum, seu in hac operatione non reperiri ut cognitam, sed tantummodo ut cognoscendam ope judicii.

*Probatur 1.ª pars.* Veritas, ut jam pluries diximus, est

conformitas mentis et rei ; atqui simplex apprehensio nihil est aliud quàm quædam similitudo expressa rei cognitæ : ergo inter hæc similitudinem et objectum quædam existit conformitas seu veritas.

*Probatur 2.ª pars.* Per simplicem apprehensionem res tantummodo percipitur, non autem *relatio* inter cognitionem et rem. Atqui exprimere veritatem idem est ac affirmare hæc *relationem*. Ergo simplex apprehensio, quæ suppeditat tantummodo unum terminum hujus relationis, non exhibet veritatem ut cognitam et affirmatam.

157. — *Scholium.* Dum per novam mentis operationem, simplici apprehensioni superadditam, percipitur hæc relatio, dispicitur ipsa veritas. Simplex apprehensio ergo dat *materiam* hujus operationis, cujus objectum est veritas, sed non refert ipsam veritatem. Hac de causa Scholastici dicunt veritatem esse *materialiter* in simplici apprehensione, et *formaliter* in judicio.

158. — THESIS III. *Sensus veritatem et falsitatem aliquo modo participare jure dicuntur.*

*Prob.* Sensus dum objecta corporea percipit, eorum refert imagines sensibiles. Atqui istæ imagines rebus perceptis conformes sunt. Ergo in perceptione sensibili est etiam veritas seu conformitas perceptionis ejusdem et rei perceptæ. Prout enim sensatio intellectionem imitatur, rationem veri induit.

Deinde sensatio judicium etiam imitatur ; percipit enim qualitatem sensibilem in aliquo subjecto.

159. — *Corollaria.* Ex dictis colligimus :

1° Falsitatem in mentem subire posse per solum judicium, quod simplicem apprehensionem consequitur ;

2° Posse tamen falsitatem in simplici apprehensione, sicut et in perceptione sensibili reperiri, sed tantummodo *per accidens*, nempe quatenus istæ operationes occasionem dant falsi judicii, vel consequuntur falsum judicium.



## ARTICULUS II.

*De imperfectioribus mentis statusibus respectu veritatis assequende.*

160. — Assequi veritatem duplici modo intelligi potest :

1<sup>o</sup> Intelligi potest de assecutione idearum objectis conformium : id importat tantum cognitionem rei, non autem ipsius veritatis ;

2<sup>o</sup> Intelligi potest de assecutione ipsius veritatis, quatenus hæc assecutio sit veritatis cognitio, seu informatio iudiciorum rebus consonorum.

De hoc modo assequendi veritatem potissimum loquimur, quia in illo datur propriè *assensus*, qui est adhesio seu conquescentia mentis in objecto iudicii tanquam vero.

Porro mens imperfectè vel perfectè veritatem assequi potest. Mens, veritatem *imperfectè* assequens, in triplici statu considerari potest, nimirum, in statu ignorantia, in statu dubii et in statu probabilitatis. De his tribus statusibus singillatim nobis agendum est.

161. — I. *Ignorantia*. Mens imprimis potest concipi tanquam ideam objecti nullam habens, et tunc perfectè non potest cognoscere conformitatem idearum cum tali objecto : adhuc in statu ignorantia detinetur.

Ignorantia duplex distingui solet, nempe ignorantia *præpositivæ dispositionis*, de qua postea agemus, et ignorantia *negativa*, quæ nunc consideratur.

Ignorantia hæc est totalis vel partialis, prout nullam præsens objecti ideam habemus, vel aliquid tantum ad objectum pertinens nos latet.

162. — II. *Dubium*. Mens, ignorantiam excutiens, aliquam veri notitiam assequi potest, ita tamen ut ad aliquod iudicium proferendum non gradiatur; tunc remanet in statu dubii, quod definiiri potest : *suspensio mentis inter utramque partem contradictionis*. Juxta hæc definitioem, dubium habetur quando inter duas propositiones contradictorias mens remanet anceps, et in neutram partem inclinatur.

Dubium dividitur in positivum et negativum.

*Dubium dicitur positivum* quando hæc suspensio mentis fit ex eo quod rationes quæ pro una propositione militant, destruantur per rationes quæ alteram propositionem suadent, et sic utrinque intellectus æquè attractus hæret.

*Dubium dicitur negativum*, quando ex neutrà parte reperiantur rationes quibus mens ad iudicandum impellatur, vel saltem quando istæ rationes sunt levissimæ, ita ut attentio non sint dignæ. Hoc dubium negativum reduci potest ad ignorantiam partialem.

163. — III. *Opinio et probabilitas*. Mens potest ideam seu propositionem aliquam cognoscere ita tamen ut hæc cognitio, licet sufficiens ad assensum determinandum, non sit plena et perfecta, neque omnem erroris formidinem excludat. Mens tunc versatur in statu opinionis.

Opinio definiiri potest : *assensus mentis in alteram contradictionis partem, sed cum formidine de alterius partis veritate*. Opinio subaudit duas propositiones contradictorias; at differt a dubio ex eo quod unam præ altera amplectitur, dum dubium neutro adheret.

*Probabilitas dicitur de motivis quæ opinionem gignere possunt*, seu ita graviora sunt ut approbationem mentis prudentis mereantur, dum opinio est ipse assensus rei propositæ præstitutus propter hæc motiva. Ratione horum motivorum opinio et probabilitas varie partiuntur.

165. — Motiva assensus determinantiæ repeti possunt, I Si spectatur probabilitas quoad suam originem,

1<sup>o</sup> Ex intrinsicis rei constitutivis, et tunc probabilitas dicitur *intrinseca* seu *interna*;

2<sup>o</sup> Ex affirmatione peritorum, qui de ipsa rei natura testimonium dant, et hæc motiva extrinseca determinat probabilitatem *extrinsecam* seu *externam*.

Præterea II pondus motivorum potest considerari, et tunc probabilitas dividitur in *gravissimam*, *gravem*, *levem* et *levissimam* seu *tenuem*, prout rationes, quæ assensum determinant, sunt gravissimæ, aut graves, aut leves, aut ferè nullius sunt ponderis.

Opinio, quæ probabilitate fundatur, dici potest *probabilissima*, *probabilior*, *æquè et minus probabilis*, et tandem *improbabilis*. In opinione enim seu sententia probabilis consideratur propositio, quam mens amplectitur, respectu

propositionis contradictoriae, et comparatè ad illam dicitur probabilior, aequè vel minùs probabilis, etc., prout rationes sunt graviore, aequè vel minùs graves, etc. Hinc probabilitas quamdam latitudinem habet.

166. — *Thesis. Minor probabilitas in conflictu majoris non eliditur.*

*Nota.* Sunt nonnulli theologi qui autumant probabilitatem minorem in conflictu majoris penitus destrui. Sed falsitas hujus sententiæ sequenti argumento coarguitur.

*Prob.* Quolibet propositio probabilis, etiamsi probabilissima sit, potest esse falsa. Atqui quandiu una pars alicujus contradictionis potest esse falsa, altera potest esse vera. Ergo opinio minùs probabilis, in conflictu propositionis probabilioris, suam servat probabilitatem, seu in sententiam falsam non convertitur.

*Quoad majorem, animadvertendum est sententiam eatenus dici probabilem, quatenus aliquam possibilitatem falsitatis includit. Statim enim ac omnem formidinem erroris explodit, evadit certa et non amplius dicitur probabilis, ac proinde tandiu servat rationem probabilitatis, quandiu remanet falsitati obnoxia: sola autem propositio omnino vera falsam reddit suam contradictoriam. Exindè patet conclusionem argumenti inficiari non posse, quin in dolens probabilitatis immutetur.*

167. — *Corol.* Probabilitas, ut ex dictis resultat, dividi etiam potest in *absolutam et relativam*, prout vis motivorum in se consideratur, vel respectu cognoscentis quem magis aut minùs afficit. Eadem motiva possunt magis afficere hunc hominem quam alterum; non rarò etiam contingit ut idem homo, pro circumstantiarum varietate, eodem motivo diversè afficiatur. Hinc probabilitas etiam *relativè* considerari potest, et *judicium* de opinionum controversarum probabilitate suapte natura mutabile est. Tamen si opinio quaedam probabilis sit omnibus hominibus, aut plurimis, aut saltem sapientioribus, hæc dicitur absolute probabilis, quia consensus talis significat eam in se vere esse probabilem.

168. — Probabilitas cum latitudinem habeat (165), in aliquot secari potest particulas seu fractiones, quarum nu-

merus gradum determinat probabilitatis. Non omnis tamen probabilitas potest numeris exhiberi, sed tantum illa quæ dicitur mathematica. Quandoque enim motiva quæ probabilitatem efficiunt, ab aliqua serie sive eventuum sive indiciorum non deprimuntur; tunc nulla ejusmodi potest fieri divisio seu sectio probabilitatis, quæ tantum moraliter æstimari potest.

Quum igitur de eventibus, tunc probabilitas potest representari per fractionem numericam, cujus *numerator* exhiberet numerum casuum eventui faventium, et *denominator* summam eventuum possibilium. Numerator unius fractionis collatus ad numeratorem alius fractionis eodem denominatore constantis, exhibet gradum probabilitatis; et certitudo haberetur ut unitas.

Sed certitudo non potest considerari tanquam congeries probabilitatum, siquidem certitudo, ut postea dicemus, distinguitur a probabilitate tanquam genus a genere.

### ARTICULUS III.

*De statu mentis veritatem plenè assequentis seu de certitudine.*

169. — Certitudo, quæ potest esse scientifica vel naturalis, est ille status in quo mens *quiescit* in possessione veritatis; dum enim assensum præstatum (160, 2<sup>o</sup>) sine erroris formidine, *certi sumus*. Certitudo igitur definiri potest: *firmitas adhesionis veritati cognite*.

Ut patet ex definitione, certitudo primariò dicitur de mente et secundariò de objecto a quo determinatur. 1<sup>o</sup> Prout de mente dicitur, seu in quantum determinat tantummodo firmitatem adhesionis, dicitur *subjectiva*. 2<sup>o</sup> Prout translato objecto tribuitur, quatenus illud objectum est idoneum ad hanc adhesionem firmam extorquendam, dicitur *objectiva*, quæ proinde est necessitas veritatis seu ipsa veritas rei manifestata iis rationibus quæ postulant firmiter assensum. Certitudo subjectiva quam firmat certitudo objectiva, est certitudo *simpliciter dicta*.

Certitudo afficit ipsam *cognitionem*. Porro cognitio duo elementa subaudit, subjectum percipiens et objectum per-



ceptum. Mirum ergo non est ipsam certitudinem etiam distribui in subjectivam et objectivam, seu refundi in ipsa elementa cognitionis.

Ex natura utriusque certitudinis liquet repugnare ut assensui *simpliciter certo* subsit error; assensus enim ille est *simpliciter certus* cui respondet certitudo objectiva.

170. — Certitudo subjectiva dividitur : 1<sup>o</sup> in *vulgarem et philosophicam*. Quælibet enim certitudo requirit non tantum motiva quibus innititur, sed etiam motivorum istorum cognitionem. Atqui cognitio hæc duplex esse potest : a) spontanea, directa et confusa, inde certitudo naturalis; b) reflexa, scientifica et distincta, et tunc certitudo dicitur philosophica.

2<sup>o</sup> In *naturalem et supernaturalem*. Naturalis est, quando motivum vel est naturale vel saltem naturali rationis lumine manifestatur. Est supernaturalis, quando motivum est supernaturale, v. g. auctoritas Dei revelantis, simulque supernaturali fidei lumine manifestatum.

Certitudo objectiva dividitur in *absolutam et hypotheticam*, prout objectum motivum ex se necessitatem et firmitatem habet, vel tantum posita quadam conditione, id est, aliquo facto contingenti.

Tandem utraque certitudo, presertim tamen objectiva, dividitur in *metaphysicam, physicam et moralem*, ex diversitate fontis unde dimanat, seu motivi quo firmatur.

1<sup>o</sup> Si illud motivum est intrinseca idearum connexio : v. g. totum est majus sua parte, certitudo erit metaphysica. 2<sup>o</sup> Si illud motivum consistit in naturæ legibus : v. g. lapis sibi relictus deorsum ruit, certitudo erit physica, et tandem. 3<sup>o</sup> Si motivum stat in legibus moralibus, v. g. parentes filios diligunt, certitudo erit moralis. Istæ certitudines specio inter se differunt, nam motiva sunt diversa. Aliquando nomine certitudinis moralis concedatur maxima probabilitas, sed improprie, siquidem non est vera certitudo.

Cum leges physice et morales sint facta contingentia, certitudo physica et certitudo moralis sunt hypotheticae per respectum ad metaphysicam.

His premissis, queri debet utrum dentur in certitudine gradus :

171. — THESIS I. *Spectata solummodo adhesionis intensitate, gradus in certitudine habentur.*

*Nota I.* Certitudo firmitate adhesionis continetur quæ duobus constituitur : 1<sup>o</sup> exclusione dubii, 2<sup>o</sup> intensitate assensus. Quoad primum, certitudo stat in indivisibili : negatio formidinis actualis in se spectata non habet gradus diversos : semper enim omnem excludere debet errandi formidinem. Sed si agitur de *sola intensitate* assensus et dignitate rationum quæ illum determinant, habentur gradus.

*Nota II.* Duo per se concurrunt ad certitudinem gignendam : motivum hujusque perceptio, illud ut causa propriè dicta, hæc est conditio sine qua non.

*Prob.* Gradus in adhesionis intensitate proportionalis est firmitati motivorum et claritati cognitionis. Atqui, varia est firmitas in diversis motivis, varia etiam claritas cognitionis. Ergo varii dantur gradus in certitudine quoad adhesionis intensitatem.

*Major* est evidens, nam semper effectus est proportionalis efficacitæ causæ et aptitudinis conditionum agendi.

*Probatum min. 1<sup>a</sup> pars. 1<sup>o</sup> Motivum certitudinis metaphysicæ est intrinseca idearum connexio, quæ nullam prorsus patitur exceptionem : v. g. hæc propositio : totum est majus sua parte, ita est vera ut nulla ei possit opponi exceptio. 2<sup>o</sup> Motivum certitudinis physice est constantia legum naturæ quibus potest derogari per miraculum, ideoque jam minus est firmum, seu stabile : v. g. ignis comburit, nisi tamen aliter Deus jubeat. 3<sup>o</sup> Motivum certitudinis moralis est constantia legum moralium, quæ libertati humanæ sunt obnoxia : v. g. Carolus magnus exstitit : hæc enim propositio subauditè veracitatem testium, et præterea certitudinem physicam ex parte primigeniæ facti cognitionis.*

Hinc certitudo sive physica, sive moralis potest dici hypothetica, ac proinde ex se cedit metaphysicæ, quæ est absoluta. Attamen certitudo quælibet, etiam moralis, posset revocari ad metaphysicam, quatenus lex cui illa innititur, potest indirecte demonstrari, ita ut sit certa certitudine metaphysica.

Moralis certitudo physica ex se etiam cedit, quia in ipsa fundatur, et præterea aliis est obnoxia exceptionibus, præter illas quas habet communes cum certitudine physica. Ergo est discrimen ex parte motivi, ac proinde ex hac parte jam sunt gradus certitudinis.

*Mia. 2<sup>a</sup> pars patet*: nam cognitio ejusdem objecti non tantum magis vel minus clara est in diversis intellectibus, v. g. in Deo, angelis, hominibus, sed etiam in eodem pro diversitate culture, dispositionum, etc. Ergo datur etiam diversitas ex parte apprehensionis motorum.

172. — *Coroll.* Hæc intensitas major quam sibi vindicat certitudo metaphysica præ aliis, et certitudo physica præ morali, accipi debet, *cæteris paribus*, id est cum pari cognitione; nam veritas v. g., de existentia Romæ, potest in nobis firmiorem gignere persuasionem quam nonnullæ veritates metaphysicæ, quæ opo demonstrationis evadunt certæ. Istæ veritates physicæ aut moraliter certæ conferri debent cum veritatibus immediatè evidentibus.

173. — *Thesis II. Certitudo fidei supernaturalis est omni naturali certitudine firmitior, certitudine objecti et motivi.*

*Nota I.* Agitur de solo actu supernaturali fidei, non autem de quolibet assensu, etiam naturali et sine auxilio gratiæ, veritatibus revelatis, ideo quia sunt revelatæ, præstito.

II. Supponimus, ut postulatum aliunde probatum, lumen supernaturale fidei a Deo ad solos assensus certos dari.

*Probatur.* Certitudo per se pendet 1<sup>o</sup> ex firmitate motivi a quo determinatur, et præterea 2<sup>o</sup> e lumine quod subjectum proximè disponit ad assensum præbendam; *per accidens* autem ex motione voluntatis. Atqui motivum fidei est firmitus, et lumen quod subjectum proximè disponi debet ad actum, excellentius, præ motivis et conditionibus certitudinis naturalis; voluntas etiam, gratia Dei roborata, movet intensius intellectum. Ergo certitudo fidei supernaturalis omnem certitudinem naturalem excedit.

*Major* satis elucet ex antea dictis (171). Ad secundam partem, notandum est quod certitudo, ut diximus, non tantummodo pendet e motivo quod illam determinat,

verum etiam e lumine quo facultas disponitur ad objectum sub motivo illo percipiendum. Quò dilucidior est perceptio objecti formalis, eò firmitior fit vis hujus objecti ad extorquendum assensum. Hinc certitudo non minus pendet e lumine quò dilucidior fit manifestatio objecti, quam ex objectiva firmitate motivi.

*Probatur minor*, videlicet quòd motivum in certitudine fidei sit stabilis et lumen nobiliss.

1<sup>o</sup> Motivum enim quò assensus fidei determinatur, est ipsa veracitas Dei veritatem aliquam affirmantis. Porro veracitas divina firmitior est qualibet evidentiæ naturali. Ergo motivum in certitudine supernaturali est firmitus quolibet alio motivo certitudinis naturalis.

2<sup>o</sup> Præterea lumen quò mens collustratur ut fiat capax percipiendi veritatem revelatam per actum fidei supernaturalis, est lux gratiæ quæ intellectum illuminat et perficit. Atqui lumen illud longè perfectius est lumine naturali nostrarum facultatum.

Ergo tum ex parte motivi, tum ex parte luminis, certitudo fidei supernaturalis firmitior est qualibet certitudine naturali.

174. — *Cor. I.* Ex veracitate ergo Dei loquentis liquet absolute repugnare ut falsitas esse possit in objecto fidei; et etiam repugnare ut natura ipsius *assensus* supernaturalis, ut error esse possit in actu fidei: « Assensus fidei, ait de Lugo (1), habet etiam certitudinem et infallibilitatem a suo principio, quò elicitur, nempe ab auxilio gratiæ. » Hoc auxilium est concursus Dei, qui non datur nisi ad actus veros. Indè certitudo objectiva fidei est absoluta et metaphysica.

*Cor. II.* In subjecto ergo quòd actum fidei divinam elicit, firmitas assensus debet esse, qualem exigit infinita auctoritas Dei, quæ meretur ut ejus locutioni humana voluntas et humanus intellectus se plane subiciat et assentiatur *estimativè super omnia*. Et ad hoc hivo excitatur, illustratur, confortatur viribus gratiæ supernaturalibus, et sic certitudo subjectiva fit ipsa cæteris firmitior.

(1) De fide, d. I, s. 8.



## CAPUT II.

DE FONTIBUS VERITATIS, SEU DE MEDIIS ASSEQUENDÆ  
VERITATIS.

175. — Hactenus quasivimus quid sit veritas, et quot sint status mentis respectu veri. Nunc alterius progredientes, considerare debemus an, quomodo et quibusnam mediis mens veritatem certam sibi comparet. Media illa quibus Auctor naturæ hominem instruit ad verum certo assequendum, quæque proinde dici possunt fontes veritatis, sunt facultates, quæ ad tria genera revocari queunt: 1<sup>o</sup> ad sensum intimum; 2<sup>o</sup> ad sensus externos; 3<sup>o</sup> ad intelligentiam seu intellectum et rationem.

Præter hæc media interna quibus homo percipit veritates obvias, nempe sibi ipsi præsentem, alio instruitur medio quo potest veritates quasdam detegere, quæ ob spatium temporis, aut locorum dissociationem non sunt obvia: ille ultimus fons veritatis est testimonium humanum. Hinc in quinque articulis disputabimus de fontibus veritatis:

In 1<sup>o</sup> articulo agemus de sensu intimo et conscientia;

In 2<sup>o</sup>, de sensibus externis:

In 3<sup>o</sup>, de ideis, seu de intellectu et ratione:

In 4<sup>o</sup>, de testimonio humano:

Denique in 5<sup>o</sup>, de scepticismo, qui ex toto vel ex parte veracitatem horum mediolorum inficiatur.

In his veritatis fontibus nunc consideramus tantum ex una parte an idonei sint ad ideas objectis conformes nobis præbendas, et ex altera an cognoscere possimus illas ideas reipsa esse conformes propriis suis objectis. Hæc idoneitas facultatum perceptivarum vocatur aliquando *veracitas*; et principium quod iudicat de ipsa conformitate idearum cum rebus, seu de veracitate illorum fontium veritatis, est intelligentia, quæ proinde appellatur *criterium quod*.

## ARTICULUS I.

*De sensu intimo ejusque veracitate.*

## § I. Quid sit sensus intimus?

170. — Sensus intimus est illa animi facultas qua percipimus quicquid in nobis intimè accidit, seu *facta in-*

*terna*. Per factum internum intelligitur omnis modificatio seu affectio subjecti sentientis, ut dolor, gaudium.

Facta interna sunt duplicis ordinis, nempe:

1<sup>o</sup> Affectiones *ipsius humani compositi*, id est, animi cum corpore, uti dolor, mœstitia. 2<sup>o</sup> *Actus solius animi*, scilicet actus intellectus et voluntatis; v. g. Cogito, iudico, volo. Facultas qua primitus facta interna primi ordinis percipiuntur, propriè est *sensus internus*, et facultas qua facta secundi ordinis apprehenduntur, nuncupatur *conscientia*, quæ etiam, ut facultas nobilior et perfectior, potest reflexo intuitu attingere id quod sentit sensus internus. Conscientia ergo potest reflexione *quodam se convertere* ad omnia facta interna.

177. — Verumtamen licet conscientia reflexione suum objectum percipiat, non omnis reflexio dicitur actus sciendi. Duplex enim distingui debet reflexio: Alia est qua intellectus in facta interna se convertens percipit tantum *objecta* quæ in ipso representantur. Alia est qua intellectus suam propriam percipit *actionem cognoscendi*. Reflexio enim subaudit cognitionem præviam. Porro ad cognitionem duo requiruntur: subjectum percipiens et objectum perceptum. Igitur reflexio in aliquam cognitionem potest speciatim versari sive circa subjectum percipiens, sive circa objectum perceptum, seu melius, circa similitudinem objecti quæ est in mente: secunda dicitur *ontologica*, et non est actus sciendi. Prima nuncupatur reflexio *psychologica*, et est id quod propriè dicitur *conscientia*.

178. — Ex enucleatis constat conscientiam discriminari a sensu interno

1<sup>o</sup> Ex eo quod sensus internus, ut facultas sensilis et organica, nequeat versari circa operationes solius animi, quæ sunt objectum proprium ipsius conscientie: perceptio enim sensus interni est merè sensitiva, dum perceptio conscientie est intellectualis.

2<sup>o</sup> Ex eo quod conscientia, præter objectum proprium, possit etiam attingere facta quæ experitur sensus internus, qui tunc conscientie quasi materiam offerret (1). Sed

(1) Vide Tongiorgi, *Int. log.*, n. 446.

in presenti de natura et distinctione facultatum speciatim non agitur, sed solum de earum veracitate.

Querimus ergo duntaxat utrum hæ facultates sint media idonea ad verum assequendum.

Quoad veracitatem sensus interni et conscientiæ, duas theses stabilimus in § sequenti.

§ II. An sensus internus et conscientia sint veraces?

179. — THESIS I. *Veracitas sensus interni in dubium revocari nequit.*

*Nota.* 1. Hæc propositio demonstrationem propriè dictam non patitur, quia agitur de facto aliquo primum per se evidenti, quod propterea per veritatem superiorem et certiore illustrari nequit.

*Nota.* II. Hæc animadversio valet pro omnibus aliis facultatibus. Quando igitur veracitatem mediorum cognoscendi, quibus a sapientissimo rerum Conditorum ornatissimum, adstruimus, id non intelligi debet de demonstratione apodictica, sed tantum de demonstratione apagogica, nempe *per absurdum contrarium*. Veritas affirmationis comprobatur ex manifesta absurditate negationis contrariæ.

Veracitatem nostrorum cognoscendi mediorum vindicabimus ex eo quod negatio 1<sup>o</sup> importaret eversionem principii contradictionis: *Aliquid non potest simul esse et non esse*, vel 2<sup>o</sup> Deum, auctorem nature, aut impotentem aut mendacem faceret.

*Probatur thesis.* In tantum sensus internus esset fallax in quantum aut sentiret dum nihil est sentiendum, aut aliud sentiret quam id quod est sentiendum. Atqui neutrum dici potest. Non 1<sup>um</sup>: cum sentire idem sit ac aliquid sensu percipere, si sensus internus sine objecto sentiret, tunc simul sentiret et non sentiret, quod negationem principii contradictionis importat.

Nec etiam 2<sup>um</sup> dicendum est. Nam si accideret ut dum sensus internus aliquid sentit, aliud tamen diversum perciperet, tunc etiam simul aliquid sentiret et non sentiret. Ergo sine manifesta absurditate in discrimen revocari nequit veracitas sensus interni. Implet enim contradic-

tionem dari actionem sine objecto, aut operationem quin tamen agens agat.

Hæc brevis probatio sufficit quoad veritatem de qua homo sanæ mentis nunquam dubitare potest.

180. — THESIS II. *Conscientia falsitatis argui nequit quoad iudicia quorum immediatè præbet materiam.*

Hæc propositio, sicut superior, non demonstratur, sed declaratur.

1<sup>o</sup> *Negari nequit sine contradictione.* Qui hæc veracitatem in dubium revocaret, affirmaret *se dubitare* de testimonio conscientie. Atqui non nisi illo testimonio innixum, sum dubium affirmare potest, siquidem illud dubium est factum internum. Ergo testimonium conscientie simul ut verum et falsum haberetur.

2<sup>o</sup> Hæc etiam vim obtinet argumentum superius datum pro sensu interno. In immediatis conscientie iudiciis error revera esset si in subiecto conscientie non existeret ea affectio, quam conscientia renuntiat, eo ipso tempore quo eam sentit. Atqui aliquam affectionem sentire idem planè est ac illam habere; apparentia enim hæc dari nequit a realitate diversa; nam apparentia hæc esset ipsa affectio subiecti, nempe realitas conscita. Ergo.

3<sup>o</sup> Subiectum consciens et objectum apprehensum sunt unum et idem: undè affectio non potest esse in sensu subiecti, nisi eo modo quo est realitas objectiva.

181. — *Scholium.* Omnis certitudo *subjectiva*, etiam principii contradictionis, certam supponit conscientiam, saltem de *aliquo interno facto*. Etenim si quis de iis omnibus quæ sentit, dubitaret, profectò de iis etiam dubitaret perceptionibus quibus cognovit necessitatem hujus principii. Igitur sensus intimus est conditio ad omnem subjectivam certitudinem, licet non sit *ratio* ob quam omnem veritatem cognoscimus.



## ARTICULUS II.

*De sensibus externis.*

## § I. De sensibus externis et sensatione.

182. — Sicut per sensum intimum internas percipimus affectiones seu modificationes et facta interna, ita per sensus externos in cognitionem devenimus rerum externarum, seu a nobis distinctarum. Porro in hac apprehensione rerum externarum, ministerio sensuum externorum, qui numero quinque sunt, videlicet: Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus, tria consideranda sunt, nempe objectum ipsum, facultas seu instrumentum et ipse actus.

Quoad *objectum* nonnulla sunt animadvertenda :

1<sup>o</sup> Quilibet sensus suum proprium habet objectum, quod est aliqua sensibilis qualitas, illa nempe quæ sensum per se et primariò afficit.

2<sup>o</sup> Objectum proprium visûs est lux cum suis diversis coloribus ; Auditus, sunt soni seu motus vibratorii corporum ; Olfactus, sunt odores qui ex actione tenuissimarum particulærum disperguntur ; Gustus, sunt saporis ex solutione quadam corporum emergentes, et tandem objectum proprium Tactus sunt resistentia corporum ejusdem diversæ modificationes : ut durities, asperitas, levitas, etc.

Quoad *ipsam facultatem*, in sensibus distingui debent *organum* quod impressiones materiales objectorum recipit, et ipsa *vis sentiendi*, qui est anima ipsa impressionem objectorum persentiens. Organum, prout de particulari sensu dicitur, nuncupatur *sensorium*. Sensus aut facultas sentiendi describi potest : *Facultas cognoscendi sensibilia ut sensibilia.*

Denique *in ipsa sensatione* duo distingui debent, nimirum :

1<sup>o</sup> Modificatio organi animati ex agentis externi actione ; quæ modificatio a veteribus vocabatur *species sensibilis impressa.*

2<sup>o</sup> Hujus impressionis in anima presentia percepta, seu cognitio ipsa sensilis, quæ proprie et formaliter sensitio

est, atque a veteribus *species sensibilis expressa* appellabatur.

Sensorium, seu organum animatum, est *subjectum sensus*, dum anima est ejus principium.

Igitur omnis sensitio experientia quodam est objecti presentis.

183. Sensibile illud quod sensationem determinat, triplicis generis esse potest, videlicet sensibile proprium, sensibile commune et sensibile per accidens.

1<sup>o</sup> Sensibile *proprium* illud est quod singuli sensus primariò et per se percipiunt, scilicet per primum actum et sine auxilio alienius intermedii ; antèa enumeravimus sensibilia propria quinque sensuum externorum (182, 3<sup>o</sup>).

2<sup>o</sup> Sensibile *commune* dicitur quod a pluribus sensibus attingi potest, sed non primariò, licet *per se* illud sensibile ab illis sensibus percipiatur v. gr. : Magnitudo alicujus objecti percipi potest per visum et per tactum ; sed visus non percipit magnitudinem nisi sub ratione colorati, undè primariò percipit coloratum et *secundariò* tantum magnitudinem. Verumtamen visus percipit magnitudinem per se, non autem per aliquam magnitudinem distinctam, quamobrem sensibile commune percipitur, ut dicitur Scholastici, *per se, sed non primò.*

3<sup>o</sup> Sensibile *per accidens* est ipsa substantia quæ a sensibus attingitur, mediatis suis qualitatibus. Illud sensibile non est id quod primariò attingunt sensus ; illud enim objectum primarium sunt qualitates externæ hujus substantiæ. Præterea non potest percipi substantia nisi per hujusmodi qualitates, undè non percipitur per se. Exindè dimanat modus loquendi veterum, qui dicunt sensibile per accidens a sensibus *nec primò nec per se* percipi.

§ II. An sensus externi sint veraces ?

*Nota.* Nunc ad veracitatem sensuum externorum comprobendam aggredimur. Sensatio sub duplici respectu considerari potest, nimirum, 1<sup>o</sup> ut est subjecti affectio, 2<sup>o</sup> ut est objecti externi representatio.

184. — THESIS I. *Sensatio sub primo respectu considerata non est falsitati obnoxia.*

Constat ex antea dictis de sensu intimo.

1<sup>o</sup> Impossibile est enim ut subjectum non habeat affectionem quam sentit, nam secus sentiret et non sentiret.

2<sup>o</sup> Affectio illa quam sensus refert, non potest esse diversa ab ea quam sentit; nam referre sensationem idem est ac percipere impressionem, et sentire est experiri affectionem. Ergo in hac etiam hypothesi simul sentiret et non sentiret.

Igitur sensatio, prout est subjecti affectio, non potest dici falsitatis obnoxia, quin evertatur principium contradictionis.

Sub secundo respectu, scilicet quando sensatio consideratur ut est objecti externi representatio, quaeremus utrum in ea reperiri possit falsitas.

185. — *Thesis II. Sensus externi, in debitis conditionibus operantes, falli nequeunt quoad perceptionem sensibilis proprii.*

*Nota.* In hac thesi, 1<sup>o</sup> sensus *sani* subaudiuntur, seu in statu suo normali; sensoria igitur nullo vitio laborare debent.

2<sup>o</sup> Sensus ut *aptè dispositi* ad ipsam sensationem recipiendam concipiuntur, nam aliquando sensus etiam sani possunt ob anteaectas impressiones immutari: v. gr. oculi in tali colore diu defixi, aliis objectis aliquando hunc colorem tribuunt.

3<sup>o</sup> Debent *rectè applicari*, nempe in debita proportione distantiae, magnitudinis et motus.

4<sup>o</sup> Medium subauditur idoneum ad communicationem inter objecta et sensus.

*Probat*ur 1<sup>o</sup> Esset falsitas in sensu si representatio sensilis non qualitatem perceptam representaret, sed aliquid ab ipsa diversum. Atqui hoc est impossibile:

Nam ex una parte sensus impressionem receptam mutare nequeunt, ut constat ex antea dictis (184); impressionem enim subeunt et non faciunt. Et ex altera impressio facta a corpore, quod nos afficit, nihil est aliud quam qualitas ipsa non absolutè spectata, sed relativè, seu quatenus sensus percipit.

Ergo impossibile est ut falsitas sit in sensu.

*Probat*ur. 2<sup>o</sup> Si sensus nos deciperent, Deus auctor

naturæ esset mendax. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

*Probat*ur *major*. Deus sensus nobis dedit tanquam unica media cognoscendi objecta exteriora; nihil enim aliud sunt quam facultates percipiendi corpora a nobis distincta. Atqui si sensus ad hunc finem essent inepti, seu reapse objecta exteriora non attingerent, dici non possent media cognoscendi exteriora objecta. Ergo a Deo, auctore naturæ, darentur pro eo quod non sunt, ac proinde Deus esset aut mendax aut impar suo muneri creatoris.

Confirmatur 3<sup>o</sup> ex eo quod homines nihil certius habent quam quod sensibus suis usurpaverint.

186. — *Corollarium.* Ex enucleatis concludimus contra Idealistas qui, obicientes sensationes esse mere subjectivas adeoque puras illusiones, negant ulla esse corpora, sed affirmant eorum species tantum obversari. Quid, in eorum sensu, veniat per has species? Non consentiunt etiam Idealistæ *dogmatici*. Duplex enim idealismus, alius *scepticus*, de quo postea, dum agemus de scepticismo; alter *dogmaticus*, qui etiam duplex est. Unus dicitur *subjectivus* qui affirmat corporum representationes ab ipsa mente produci: ita Fichte. Alter idealismus, qui nuncupatur *objectivus*, putat phenomena corporum a Deo ipso produci in anima: defensor hujus idealismi fuit Berkeley, post Malebranchium et Cartesium. Argumenta secundæ thesisi vim habent contra utrumque, qui etiam impingit in manifestum absurdum: prior supponit quod representationes sensibiles possunt produci et sustentari a principio mere spirituali, absque concursu objecti materialis; posterior arbitratur Deum, constanti lege producere representationes sensibiles quibus nullum responderet objectum, et sic reddere errorem necessarium.

### ARTICULUS III.

#### De intelligentia.

187. — *Thesis.* *Præter facultates sentiendi, quarum veracitatem comprobavimus, homo facultate superiore ornatur qua percipit intelligibilia.*

*Probat*ur. 1<sup>o</sup> Constat enim experientia nos habere quas-



dam rerum immaterialium notiones quæ ad sensus referri nequeunt. Habemus v. gr., notionem Dei, angelorum, etc., quæ sensibus non percipiuntur.

2º Præterea eodem modo constat in rebus materialibus nos cognoscere non tantummodo phenomena, seu accidentia quatenus nos afficiunt, sed etiam essentiam intimam, seu res ipsas quoad se. Experientia enim seminus, v. g. nos non tantummodo percipere hanc arborem particularem, hunc hominem Petrum, etc., ut nos afficiant, sed etiam nos conceptum habere arboris generatim sumptæ, et hominis *in genere*, etc., ita ut hi conceptus, cum eadem veritate, prædicari possint de omnibus arboribus, de omnibus hominibus, etc. absolute sumptis. Igitur hi conceptus, cum de omnibus individuis ejusdem speciei dici possint, sunt *universales* (35, 48). Ergo, præter sensus, facultatem habemus, cujus objectum proprium est universale.

Hæc facultas nuncupatur *intelligentia*.

3º Homo potest etiam judicare et ratiocinari. Istæ autem operationes effici nequeunt per sensus, quia aliquam important *abstractionem*, quæ in eo consistit ut notio aliqua consideretur independentem a subjecto cui inest. Atqui sensus non nisi concreta potest cognoscere, ac proinde nunquam valet ad efformanla judicium et ratiocinia. Igitur indubium est quod ab auctore nature donati sumus facultate aliqua percipiendi illa objecta, quæ sensus assequi non possunt.

188. — Ex dictis (188) constat facultatem hanc varia habere munera. Potest simplici intuitu veritatem aliquam percipere, quod dicitur *intelligere*; præterea potest ex uno conceptu veritates ad alium procedere, quod dicitur *ratiocinari*.

Prout facultas intelligendi primo munere fungitur, nempe simplici intuitu percipit veritatem, nuncupatur *intellectus*; prout ab una veritate percepta ad aliam pergit, dicitur *ratio*. Hinc ratio nihil est aliud quam ipse intellectus, quatenus munere fungitur deveniendi in novam cognitionem ope alterius jam habitæ. Ratiocinari ergo et intelligere differunt sicut moveri et quiescere, ac proinde

non sunt due facultates diversæ, sed duplex munus ejusdem facultatis.

### § I. De intellectu.

189. — Intellectus, prout a ratione distinguitur, nempe quatenus simplici intuitu percipit veritatem, duplicem exercet actum, scilicet :

1º Simpliciter apprehendit, seu efformat ideas,

2º Immediatè percipit nexum quarundam idearum, seu efformat judicium immediatè.

190. — Sed hic sedulo distinguenda sunt judicium immediatè a judicium mediatis (60).

1º Judicium *mediatè* sunt objectum *rationalis*, non vero intellectus, atque eruantur per ratiocinium ex aliis judiciis præviis, quæ sunt veluti causa, quæ secundum suam perfectionem spectata debet in se continere effectum. Hujus generis sunt omnia principia demonstrabilia. Mens non potest horum judiciorum nexum contueri nisi ope aliorum judiciorum (60).

2º Judicium *immediatè* illa sunt quæ prævia alia non subaudiunt judicium, sed solum simplices apprehensiones : v. g. totum est majus sua parte; veritas hujus judicii statim apparet atque idea totius et idea partis menti obversantur. Judicium immediatè objectum proprium *intellectus* (60) constituent. In istis judiciis, quæ ex ipsis terminis perceptis intelliguntur, objectum quod cognoscitur, est etiam ipsa objectum formale *sub quo* illud cognoscitur; et propterea dicuntur veritates *per se* notæ.

191. — Judicia *a priori* (59), utpotè a sola idearum abstractarum consideratione emergentia, sunt *necessaria*, quia ideæ quæ eorum constituunt materiam, sunt independentes ab omni ratione temporis et mutationis : v. gr. *idea totius et partis* sunt *in se* immutabiles et universales : unde judicium ipsa sunt universalis et necessaria. Judicia *a posteriori* (59, 2º) versantur circa facta contingentia, ac proinde eorum materia est contingens et mutabilis. Hinc judicium ipsa sunt *contingentia et particularia*.

Veracitas intellectus demonstrari debet quoad hunc duplicem actum, quem exercet.

192. — THESIS I. *Intellectus, dum simpliciter efformat conceptus, per se non est falsitati obnoxius.*

*Probat.* Intellectus esset falsitati obnoxius, si conceptus quem efformat, proprio objecto absimilis esse posset. Atqui id sine absurditate affirmari nequit. Ergo simplex intellectus apprehensio per se falsitatem in intellectum inducere nequit.

Major est per se evidens.

*Probat.* minor. Intellectus exprimit in se similitudinem objecti quod percipit, vel non. Atqui, si primum, nulla falsitas; si secundum, falsò diceretur mentem illud objectum percipere, siquidem percipere objectum idem est ac illud in mente exprimere. Ergo intellectus non potest esse fallax quin simul percipiatur et non percipiatur.

Si diceretur intellectum, dum unum objectum percipit, alterius similitudinem exprimere, hoc etiam manifestam importaret contradictionem. Nam percipere est aliquid intellectualiter exprimere, undè illud tantum percipiatur, cuius idea exprimitur. Ergo in data hypothesis *perciperet quod non percipit*.

193. — THESIS II. — *Intellectus etiam in suis judiciis falli nequit.*

*Probat.* Intellectus in judiciis immediatis esset fallax, si aliquid proferret quod non est in objecto. Atqui id impossibile est. Ergo intellectus in judiciis immediatis proferendis fallax esse nequit.

Minor est probanda quoad duplex genus judiciorum immediatorum.

1. *Pars.* Quoad judicia *analytica* seu rationalia, *falsitas est impossibilis.*

*Nota.* In his judiciis, ut antea diximus (59), prædicatum est de ratione subjecti, et idè dum illud subjectum cognoscitur, ejus prædicatum mentem latere nequit.

*Probat.* 1<sup>a</sup> *pars minoris.* Hæc judicia affirmant simpliciter prædicatum in subjecto contineri, seu esse de ratione subjecti, v. g. in axiomate: *totum est majus sua parte*, affirmatur partem esse elementum subjecti *totum*. Atqui si in hoc actu esset deceptio, illc error necessariò

refunderetur in simplicem apprehensionem subjecti; nam mens judicans nullum affert elementum extraneum, nihil addit materiæ quam præbet simplex apprehensio. Ergo nulla falsitas in his judiciis, nisi ipsa simplex apprehensio sit deceptrix, seu facultas suapte natura ad falsum sit ordinata.

*Probat.* 2<sup>a</sup> *pars minoris*, nempe intellectum esse veracem in judiciis syntheticis proferendis.

Munus intellectus in judiciis a posteriori in eo sistit ut *distinctè* contineatur quod reperitur in perceptione sensibili, quæ est materiæ judicii. Atqui *distincta intuitio* hujus materiæ nullum affert elementum objectivum, sed solum in hac materiæ percipit quod in ea est. Ergo nullus error possibilis in mente ita judicante, nisi intellectus rem aliquam distinctè percipere non valeat, seu nisi natura sua non sit facultas idonea ad cognoscendum id quod est.

Revera in hoc judicio a posteriori: sol illuminat, seu, sol est illuminans, materiæ hujus judicii, quam præbent sensus externi, est *sol cum sua luce*; sensus enim percipiunt solem non seorsim, sed solem simul et ejus lucem. Intellectus percipit in hac intuitione sensibili solem tantquam distinctum a sua luce, et affirmat solummodo *lucem ad solem pertinere*, ac profundè simpliciter asseverat de facto id quod est in facto. Ergo si esset deceptio, deceptio hæc refunderetur sive in sensibilem perceptionem quæ suppedilat materiæ, sive in absolutam intellectus inæpaci-tatem cognoscendi id quod est.

Ex probatis generatim concludere possumus intellectum esse veracem, sive in judiciis analyticis, sive in judiciis syntheticis.

## § II. De ratione.

194. — Quædam veritates quæ nec sensu, nec idearum consideratione immediatè nobis patent, ratiocinio uti debemus ut eas deprehendere valeamus. Munus ergo rationis est detegere veritates illas quæ non sunt simplices apprehensiones, neque judicia immediata sive analytica sive synthetica. Officium illud rationis verum inquirentis est *ratiocinari*.

Porro ut ad ratiocinandum deveniamus, quasdam sunt



*prænocenda*, siquidem ratiocinatio est transitus quidam a noto ad ignotum. Hæc nota seu hæc præcognita sunt :

1<sup>o</sup> Subjectum et prædicatum conclusionis quorum nexum inquirimus.

2<sup>o</sup> Præmissæ seu principia quæ præmissas constituunt.

Et enim querere non possumus relationem subjecti et prædicati quominus aliquam saltem *utriusque cognitionem* habeamus. Præterea principia, quorum adminiculo hæc relationem detegimus, sunt etiam prævia in cognitione respectu ejusdem relationis, ad ejus manifestationem concurrunt tanquam media.

Igitur ratiocinium quasdam prænotiones requirit.

195. — Jamverò hæc principia præcognita esse possunt judicia immediata, sive analytica, sive synthetica, atque ratione horum judiciorum, quæ præmissas constituunt ratiocinium dicitur purum, empiricum aut mixtum :

1<sup>o</sup> Si præmissæ constant duobus judiciis a priori, ratiocinium dicitur *purum*, utpote coalescens puris ideis.

2<sup>o</sup> Si amba præmissæ sunt judicia a posteriori, seu empirica, ratiocinium ipsum erit *empiricum*.

3<sup>o</sup> Denique si præmissæ conflantur una ex judicio puro, altera ex empirico, ratiocinium est *mixtum*.

Nunc de veracitate ratiocinii generatim inspecti.

196. — THESIS I. *Ratiocinium præmissis veris constans et ad legitimam formam exactum, falsum esse nequit.*

*Probatur.* Conclusio in præmissis continetur, si ratiocinium sit formaliter rectum. Ergo impossibile est ut conclusio sit falsa, si præmissæ sunt veræ.

197. — THESIS II. *Mens præmissis assentiens, conclusioni assentire debet.*

*Probatur.* Mens præmissis assentiens, implicite affirmavit conclusionem in ipsis contentam. Ergo si explicite affirmare hæc conclusionem detrectaret ex præmissis manantem, sibi aperte contradiceret. Itaque impossibile est quòd mens conclusioni non det assensum, seu ut mens positive dissentiat, dum semel præmissas affirmavit.

198. — *Scholium.* Hæc necessitate assentiendi conclusioni non premitur mens nisi certo teneat 1<sup>o</sup> præmissas

esse veras, 2<sup>o</sup> deductionem esse legitimam : nam hæc duo requiruntur ut veritas conclusionis evidens fiat. Igitur ratiocinium *per se* non fallit.

Veruntamen mens in deducendis illationibus falli potest *per accidens*. Id enim accidit ex defectu sufficientis attentionis sive circa veritatem præmissarum, sive circa ordinem deductionum. Sed in presenti non agitur de erroribus qui ex *inconsideratione mentis* deveniunt, sed tantummodo querimus quid absolute loquendo ratio valeat ad verum acquirendum.

## ARTICULUS IV.

*De auctoritate.*

199. — Sunt quedam veritates, aliæ ad ordinem experimentalem, aliæ ad ordinem dogmaticum pertinentes, quæ a nobis percipi nequeunt, sive per intelligentiam, siquidem agitur de factis aut de veritatibus supernaturalibus, sive per sensum, propter locorum dissociationem aut temporis lapsum. Ut ad cognitionem harum veritatum deveniamus, habemus *testimonium* quod propterea, non secus ac sensus et intelligentia, quoddam constitui *medium* veritatis assequenda.

Per *testimonium* intelligitur *illa declaratio qua testis refert rem sibi notam.*

*Testis, ille est qui propriam cognitionem alteri significat.*

*Fides est assensus quem alterius testimonio præstamus. Auctoritas est id quod testi fidem conciliat.*

200. — Testimonium 1<sup>o</sup>, ratione subjecti loquentis spectatum, est vel *divinum* vel *humanum*, prout Deus vel homo nos docet.

Testimonium divinum gignit fidem divinam, dum testimonium humanum fidem humanam parit.

2<sup>o</sup> Ratione materie, testimonium dividitur in dogmaticum et historicum.

*Dogmaticum* dicitur, quando *ejus materia est dogma*, seu veritas aut doctrina.

*Historica* nuncupatur illa justificatio *cujus objectum est factum*, seu id quod sensu testis cognovit.

Verumtamen quodlibet testimonium sive dogmaticum sive historicum affert cognitionem, non scientificam, sed *historicam* tantum; nam docet *rem esse*, non autem, *cur sit*; fidem duntaxat gignit, et ideo fides opponitur scientiæ.

Testimonium dicitur *authenticum*, quando omnem prudentem erroris formidem excludit, seu ita se prodit ut non possit non referre rem, ut est in se.

201. — Auctoritas potest inspicere 1<sup>o</sup> in testimonio eorum qui propriis sensibus facti experientiam ceperunt: hi testes *immediati* sive *oculati* dicuntur.

2<sup>o</sup> Potest considerari auctoritas testimonii eorum qui notitiam factorum a testibus immediatis acceperunt: hi testes dicuntur *mediati* sive *auriti*. Testes mediati nominantur *coævi*, quando tempore quo factum contigit, vixerunt; *suppares*, si proximo, *remoti*, si tardiori.

Agemus 1<sup>o</sup> de testimonio testium oculatorum, seu de vi testimonii generatim sumpti, et postea de testimonio testium mediatorum sive scripto sive orali.

### § I. De testimonio immediato.

Quoad testimonium, considerata est 1<sup>o</sup> ejus necessitas, quatenus ipsum est medium assequendæ veritatis, et 2<sup>o</sup> ejus auctoritas, ut fons certitudinis.

#### I. De necessitate testimonii.

Testimonium potest versari 1<sup>o</sup> circa dogmata, nempe circa quasdam propositiones scientificas, 2<sup>o</sup> circa facta seu eventus, et sub utroque respectu ejus necessitatem vindicabimus.

202. — THESIS I. *Testimonium dogmaticum aliquando est, moraliter loquendo, unicum medium cognoscendæ veritatis quasdam necessarias vel admodum utiles.*

*Probat*ur. *Rudes et indocti* ad multas veritates scitu utiles, imò necessarias ad usum vite tum physice tum moralis, per se devenire nequeunt, sive ex defectu mediorum, temporis, etc., sive ob ingenii limitationem. Ergo unicum eis superest medium eas sibi comparandi, id est, fides in testimonium peritorum.

Et illud argumentum pro *omnibus hominibus* valet, qui semper in aliquibus sunt rudes et indocti; nemo enim potest omnes scientias sibi comparare, ac proinde quoad quasdam veritates quisvis fidem peritis adhibere debet: v. g. Jurisconsulti, medico; theologus, astronomo, etc. Hinc fides dogmatica in pluribus est omnibus necessaria.

203. — THESIS II. *Testimonium historicum est homini prorsus necessarium.*

*Probat*ur. Nonnisi hujus testimonii adminiculo cognoscere possumus 1<sup>o</sup> facta præteritorum temporum, 2<sup>o</sup> ipsa facta cœva que in remotis regionibus eveniunt, 3<sup>o</sup> multas veritates experimentales, ex eis etiam que scitu sunt necessarie ad vitam servandam, v. g. idoneitas ciborum et potuum, etc. Infantes nihil nisi per testimonium cognoscere queunt.

Igitur necessarium est ut testimonio humano sive dogmatico sive historico fidem in pluribus adhibeamus, et ideo illud testimonium est medium aliquod cognoscendi prorsus necessarium.

#### II. De veracitate testimonii immediati.

204. — Ut testimonium nos impellere valeat ad assensum, requiritur ut nobis constet testes 1<sup>o</sup> scientiam certam habere et 2<sup>o</sup> esse veraces.

Istæ conditiones requiruntur ut testis auctoritas fidem imponere valeat. Auctoritas enim est *jus aliquid imponendi*. Porro jus fidem imponendi esse nequit in teste qui *scientia certa et veracitate* non ornaretur, seu verum non certè referret. Quò magis aut minus testes recederent ab his conditionibus, eò etiam magis aut minus jus fidem imponendi amitterent.

Fides, ut antea diximus, est vel divina vel humana (201).

1<sup>o</sup> Auctoritas, quæ fidem divinam imponit, est Deus ipse, qui non potest decipi aut decipere, undè testis ille fidem imponens, in summo gradu scientia et veracitate ornatur, et ideo ejus testimonium gignit certitudinem qualibet certitudine humana majorem (173). Sed præmissa fide supernaturali, de qua tractant theologii, agemus simpliciter de testimonii humani auctoritate.